r. 1790.

Synakiewicz ks. Felix, Reformat

Vota conventuum Reformatorum ... Ill^mo

Adamo Naruszewicz episcopo Smolense.

http://rcin.org.pl

http://rcin.org.pl

Synakiewicz Ks. Felix

Fundacji im. J. I. Michalskich Ze zbiorów

# VOTA

CONVENTUUM

( In Diæceſi Luceorienſi ) Provinciæ Marianæ in Pruſſia Patrum Reformatorum

FÆDERATA

Homagiali plus quam milleno Carmine in Auſpicatiſſimo Aſcenſu ad Cathedram LUCEORIENSEM

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO

AC

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

ADAM

NARUSZEWICZ

Epiſcopo Smolenſcenſi Equiti Ordinum Aquilæ Albæ,

&

S. STANISLAI,

DOMINO

&

PROTECTORI CLEMENTISSIMO

1790.

Cum Permiſſu benigno Superiorum

DEDICATA.

Synakiewicz

http://rcin.org.pl

# IN STEMMA
# WADWICZ
## *ILLUSTRISSIMI PRÆSULIS.*



Ze zbiorów

I.

Non undas Patriæ turbavit Piſcis uterq;
Venales quoniam: nulla vidére fora.

II.

Aureus hos piſces nunquam deceperat hamus
Omnibus unca dolis æra ſubeſſe vident.

III.

Piſces, quô nati ſunt iſti flumine quæris?
Sunt nobis dicent, æquora vaſta, parens.

IV.

Hi jaculô piſces, illi capiuntur ab hamo,
Hos unquam cæpit nulla doloſa manus.

V.

Armis pro,, piſces cui ſunt, Hunc *Annule* ſigna
*Piſcatoris*; nam dignus honore Tuo.

http://rcin.org.pl

AD

ILLUSTRISSIMUM REVERENDISSIMUM

AC

EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

# NARUSZEWICZ

*Epiſcopum Luceorienſem, & Breſtenſem, Protectorem Clementiſſimum.*

Cantabunt alij: numerô fors Carmina parvô
Præſulis in Laudes Carmina mille canam.
Magna dabunt alii: gracili cum Carmine dona:
Quid dare Tî præter verba, Pòéta poteſt?

http://rcin.org.pl

Dent: cantentq*i*, ( licet ) Tibi Præſul maxima, vates:
Sit mea pro magno munere magna fides.
Munera magna dabis, ſi ſit Provincia noſtra
Pruſſa, Patrocinio tecta favente Tuô

Dedicat, Conſecratq;
Humillimus & Devinctiſſimus ſervus,

*Fr. Felix Synakiewicz Reform:*
*Sæ Ræ Mttis Theologus*
*Provinciæ Cuſtos.*

http://rcin.org.pl

# CONVENTUS BOCKOVJENSIS
# V O T U M

Sentiat ut ſerus præmia digna cinis.
*Ovid:*

FAc, o!-Phæbe Parens, poſſim Divina tueri
Numina Parnaſſi, cernere montis aquam.
Caſtalios concede lacus, concede Camænas,
Da precor Aonias Nobilis Hoſpes Aquas.
Nunc te vocales impellere pollice Chordas:
Nunc precor ad votum flectere plectra meum,
Jpſe triumphali devinctus tempora laurô:
Dum cumulant aras ad tua ſacra veni.
Sed nitidus, pulcherque veni, nunc induè veſtem
Depoſitam, longas nunc benè pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno Rege fugato:
Victori laudes concinuiſſe Jovi.
Ecce Naruszewicz: feſtivô Culmina greſſu
*Luceoris* Cathedræ ſcandit, aditque ſuæ.
Cui data, Regali, Parnaſſi laurea, dextrâ
Jllæſis ſemper floret amæna comîs (*)
Quem, Procerum Regni, Regis, Romæque dedêre
Jlli: vota, canat cætus, *Apollo* tuus.

A

(*) Sereniſſimus Stanislaus Augustus Dominus Clementiſſimus, quem ſapientiâ Coronavit Deus ſapientûm virorum æſtimator, hunc Polonum Apollinem in numerum Laureatorum Poëtarum adſcivit, Eiuſque gratiâ numiſmata cudi juſſit.

http://rcin.org.pl

Sed quid ego muſas? -- vatem quid convoco *Phœbum?*
Eſt minòr ingenio *Phœbus* Adame Tuo.
Nam tua te virtus, ſublimibûs intulit aſtris,
Ingenio pietas non minor, atque fide,
*Juno* genus, genium *Pallas* tibi contulit æqua,
Gratia ne deſit, oontulit ipſa *Charis*
Sunt Tibi dona Jovis data fauſtè munere largo,
Et natura ſuas ſuderat uber opes
Quas ſinglîs ſparſim parnaſſus conſtulit, omnes
Solus habes, dotes, quas habuêre Deæ.
Haud ſcio muſa tuos anteſtet, an ulla lepores,
Præſul, tam liquido, dum promis ore melos
At ſcio, quod pauci poterunt ſuperare Poetæ
Materià, numeros, nòbiliore, Tuos.
Nam quamvis aliæ volucres modulamina Cantent,
Nulla poteſt numerîs æquivalere Tuîs.
Vix tam *Bilbilicæ* (1) veneres, vix Muſa *Catulli*, (2)
*Virgilii* vix, quà m me tua muſa capit.
Seu *Lyricus*: ſeu vis *Epicus* magis eſſe Pòéta:
*Flaccus* es, aut genio major, & arte *Maro*.
Seu molles cantas elegos, potes eſſe *Tibullus*, (3)
*Adame*, aut *Naſo*; *Callimachuſve* (4) novus.
Sive facis nobis felix epigrammata docta,
*Bilbilico* vati par ſimul eſſe potes.
Quid? quód eò melior cenſendus es hiſce Póëtis:
Quò: Tua quæ ſcribis ſunt melióra bonîs.

---

(1) Bilbilis oppidum Celtiberorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Salonem fluvium, ex hoc oppido originem traxit Martialis Poeta, dictus: Bilbilicus.
(2) Inſignis Poeta Veronenſis, natus Annô ante Saluſtium.
(3) Tibullus fuit Poeta ſvavis
(4) Poeta Cyrenenſis, apud Grœcos Principes inter Elegiacos habebatur, multa ſcripſit in omni genere, carminis.

http://rcin.org.pl

Namque tuo regnat virtus in Carmine ſemper,
Ac morum probitas Relligioque Dei.
De Te poſteritas ut ſcribat maxime Præſul,
Scriptorum calamus par Tibi nullus erit.
Hæc ſua ſi vati tribuerunt numina dona?
Non minor eſt illi lingua diſerta ſimul.
Carmine ſeu libeat fluere, aut Cicerone tonare,
Rhetoris & Vatis munera rite ſubis,
Rhetoris & Vatis mirando munere clarus
Nam laurum donat Phæbus utrinque ſuam,
*Mercurius* (*) linguam, mentem dat *Jupiter* altam,
Fonte ſacro triplex, luſtrat utrumque, *Charis.*
Si Te Theologum Judex audiret Aquinas?
Ingenium Thomas diceret eſſe ſuum.
Si Te oratorem facundo Tullius, ore
Audiret? linguam diceret eſſe ſuam,
Sic: merito de Te veriſſima dixero Præſul,
Ingenio Thomas, Tullius, ore pates.
Dicere fas, comitem ſe fert Tibi Diva *Sophia*
Aſſiſtit lateri *Livius*, indè Tuo.
Defunctis vitam reddis vitâque fruentes:
Scriptorum prohibes, ſedulitate mori.
Dum famam ſcriptis alienam condis, eâdem
Tuque Tuum tollis nomen ad Aſtra, Tubâ,
Publica, quem laudant plenis ſubſelia buccîs (*)
Ac loquitur gratô plurimus, ore cliens.
Eſtis felices, & fauſti Præſule tanto
Lechiadæ, veſter non morietur honor.
Felix: cui tantos ſervire videmus amicos,
Ingenio, cuius numina magna favent.



(*) Deus Eloquentiæ.

http://rcin.org.pl

Si Jovis é Cerebro non nata Minerva fuiſſet;
Credirerim Natæ, Præſulis eſſe Caput.
Pallade vel natum, ni *Pallas* virgo fuiſſet,
Vel Jove progenitum, fictus: at ille Deus.
Linquite *Pierides* Heliconis florida regna,
Jam non ſit veſtri Rector Apollo chori.
Præſulis eſt pectus Parnaſſus, Phæbus & ipſe eſt,
Hìc Muſæ, hìc Helicon, hic ſacra Pallas adeſt.
Sed cum me fugiunt ad laudes verba diſerta,
Et mea ſint meritis ora minora Tuis;
Ergo te celebrent doctæ vel pergama Romæ
Fama Canat laudes, non moritura, Tuas.
O! utinam vivas longos Adame per Annos,
Romanamque geras tempora multa togam.
Lilifer Alme *Joſeph* (*) Conventûs magne Patrone,
Accreſcentis. Qui nomine dictus eras,
Fac, creſcat titulìs *Naruſzewicz* creſcat honore,
Proſperet hoc votum, comprecor, ipſe Deus.
Crux Sapieharum fulgens, armata Sagittà (**)
Servet ab Adverſis, proſpera detque Tibi.

(*) Conventûs Bockovienſis Eccleſia eſt ſub Titulo: & Patrocinio Sancti Joſephi.

(**) Fundator Eccleſiæ, & Conventûs, Jlluſtrìſſimus Joſephus Sapieha Theſaurarius Magnus, M. D. L. cum conſorte Sua: Jlluſtriſſima Chriſtina de Branickie,

http://rcin.org.pl

# CONVENTUS VĘGROVIENSIS
# V O T U M

\- - - Parilique caleſcimus igne
Votorum - - - - - A. O.

AD Flumen *Liwiec* (*) ſpatians, ubi terra Colono
Eſt prope Vęgroviam fertilitate potens:
Multa movens animô, ſubitó ( mirabile viſu )
Aſpicio, haud oculis agmina viſa meîs.
Cætibus en Genitrix: glaucarum cincta ſororum,
Exiit: autumnîs, ſole micante vadis.
Gramine veſtitum vernanti & flore decorum
Campum adiens, *Nymphis* talia dicta dedit.
*Naruſzewicz*: Regi, meritîs, ſtatibuſque, notatus,
Fræna Lucoriani diriget ampla Fani.
Rudibus hic, ſe ſe dabit, & formabit agreſtes:
Hic: mittet mores, in juga ſenta, pios,
Eſt ſua nota fides Civi, Temploque, Thronoque,
Sunt nivei mores, eſt ſine vita dolo·
Cura, fides, labor, ingenium vigilantia, Zelus,
Fecerunt carum Civibus eſſe ſuis.
Ejus doctrinæ decus immortale refulget,
Mens pia, cor ſapiens; vita placensque Deo.
Si quæ: doctrinæ laus eſt in Præſule? ſi quis
Candor virtutis? ſi probitatis amor?

(*) Fluvius *Liwiec* alluit Littora pratorum Civitatis Vęgrovienſis.

http://rcin.org.pl

Credite laus iſthæc venerandi Præſulis huius,
Gloria, non ullo commoritura die
Quid quid habent ſolidi Docti? charitesque Leporum,
Quid quid, muſæ joci, quid quid Apollo Salis?
Quodcunque eſt Sophiæ quodcunque eſt artis ubique?
Jngenii aut genii quidquid ubique viget?
Præſul id omne tenet meliori numine, cuius
Luceoris, cingit Sacra Tyara Caput.
Felicem populum, cui Præſul imperat iſte,
Corde ſedent cuius tam veneranda bona.
Nil ſævam trepides rabiem, grex Sancte, luporum,
Hic te peſtifero ſervat ab hoſte tuo.
Inficiet non te doctrinæ peſtifer Aura,
Nam vigil, & ſapiens, Paſtor ovilis erit.
Hôc vigili Cuſtode lupus, non territat agnos,
Hocque Duce imbelles rite tegentur oves.
Si prius hunc Adam maiorum ſæcla tuliſſent,
Scandiſſet Ruſſum Schiſma minore gradu.
Vix ea fata; Caput vitrêo contexit amictu,
Condidit atque alto ſe Dea Culta Salo.
Alveus hoc, undæ manantis ad æquora, lætus
Audiit, & grandi voce replevit agros.
Cum tua. Nimpha ſali *Nereïa*, dicta peribunt.
Tunc *Liwiec* reſlûis alveus ibo vadis.
Dicam *Volhiniis*, *Lithvanis*, murmure blando,
Quem dederint ipſis aſtra benigna Patrem.
Non huic Sacra deeſt pietas, non ardua virtus,
Quâ digno præſit Præſul honore gregi.
Virtus ſola Patrem dignatur munere tantô
Hunc pietas tali nobilitate beat.
Hæc ſunt virtutis pietatis, ſuntque laborum
Præmia, & hic tanto Præſule dignus honor.

http://rcin.org.pl

Sic laurô cinctum, ſic Cedrô digna locutum
  Hinc manet æterni Nominis amplus honor.
Quam tribuunt muſæ, longum laus perſtat in ævum,
  Quam tribuit virtus, fama perennis erit.
Ingeniô, geniô Calamique vigore Columnam
  Famæ, de ſera Poſteritate meret.

Alcantarenſis: Divorum Petre Sodalis:
  Noſtra ſub auſpiciis ſunt quia tecta Tuis;(*)
Eſſe velis noſtro Paſtori ſollida Petra
  Sit ſua vita malîs intaminata diu.
Ales *Kraſinii* Fundatrix (**) tu ſuper aſtra
  Effer, ſic ſemper non niſi celſa petat.

Hic jam plectra ſilent Phæbi, Citharæque ſororum,
  Hic ego jam verſûs ſtamina rumpo mei.
Noſtra, brevi Cantu, quia ſcribo carmina; Parce,
  Laudis materies nam mihi longa Tuæ,

(*) Conventus & Eccleſia Węgrovienſis eſt ſub Patrocinio & Titulo, S. Petri de Alcantara.

(**) Fundator Eccleſiæ & Conventus Illuſtriſſimus Dominus de *Kraſne* Kraſiński Theſaurarius Regni. Ceptum ab illo Fundationis opus perfecit & Conſumavit Illuſtriſſimus Joannes Bonaventura Kraſiński Palatinus Plocenſis, œterna memoria, & gratitudine dignus:

http://rcin.org.pl

# CONVENTUS BJAŁŁENSIS
# V O T U M

Rati, ſi noſtræ dederis felicia vela:
Sufficit - - - - *Buchan:*

QUos iterum plauſus? & quæ nova Cantica laudum
Concipiunr muſæ? qua pulcri ad flumina *Styri* (*)
Jmâ Valle jacens *Luceoria* Meſſe beatos
Frugiferos Campos durô præſcindit aratrô.
Et quâ parte jacet *Janovia* cerno micantes,
Ignes feſtivos, queis Templa, Scholæque, Domusque
Lucent. Cerno gregem populi, Sacroſque Miniſtros,
Omnes exultant, accurrunt undique læti
Ne dicam: Divos ſe ſe recreare Tr umphô,
Quem faciunt populi, Clerus, quem chordiger Ordo.
Ipſe adeò radios circum Caput omne micantes,
Splendidior profert *Phœbus*, vultuque ſereno
Lætitiæ dat ſigna novæ . flat mitior aura,
Undique florentes Geniò ludente per hortos,
Cui Comes it charitum Chor s, Aonidumque Sororum,
Jam ſcio, Iam cauſam plauſûs agnoſco beati,
Lætitiæque novæ. Novus, en novus advenit Hoſpes,
Quem virtus, pietas, Sapientia, Quemque Coronat.
Nobilitatis

(*) Fluvius *Styr*: alluit littora Civitatis Luceorienſis.

http://rcin.org.pl

Nobilitatis honor Litavûm degente vetuſtâ,
Ultrò plus longis votîs quem clerus & Ara,
Expectavit, amans Paſtoris, quemq; dedêre
Aſtra benigna Patrem, nobis ut præſit, & adſit:
Nempe *Naruſzewicz*, teneat qui Culmen Honoris,
*Luceoris* meritò, præcinctus, jure, Tyarâ.
Hæcce ſubaudit ubi, musîs comitatus Apollo:
Obvius ante Oculos ſe ſe mihi, Lauriger offert,
Os, Oculosq; gerens, vultumq, habitumq; Deorum,
Arcum humeris flexum geſtans, pictamq; pharetram,
Auratamq; manu Cytharam, preacutaq; tela,
Aurea Cæſaries olli; lumenq; juventæ
Purpureum emicuit vernantis, & aurea palla
Ex humeris demiſſa, pedes defluxit ad imos
Par etiam muſis ſplendor, decor omnibus idem
Affuit, auratîs velatæ veſtibus omnes:
Omnibus ex humeris Cytharæ: par omnibus ætas.
Par Color & facies, & geſtus Corporis idem;
Ambroſiæ Comæ Divinum vertice odorem
Spirabant; laurusq; Comas Phæbêâ tegebat.
Ibant, implicitæq; manus, ac pectora, nudæ;
Lætitiam præ ſe choreis plauſuq;, *ferebant.*
Jamq; coáctarant faciles ter in ordine gyros:
Cùm Phæbus greſſu propior, veſtigia torquens;
Talibûs affatur dictîs ſeq; obtulit ultrò:
Exoptata diu lux tandem ſurgit Olympo
Quâ Paſtor Cathedræ culmen conſcendit in altum,
Plaudere jam tempus, jam dulces pangere cantus,
Grataq; Patrono, teſtari vota, benigno,
Quem penes Aonidum ſpes & tutela ſororum,
Tuq; adeo cultor noſtri (meq; indice ſignat,
Mollia qui tenui pede Carmina ludere gaudes,

Viribus apta tuis. Phæbo duce & auſpice Phæbo,
Hæroâ tandem grave Carmen voce ſònabis.
Tu facti tu teſtis eris, tu ſingula verba
Excipies tabulis ſignata fidelibus: olim
Quæ Præſul legat ipſe tuus vultuq; benignô
Comprobet ingenuum non averſatus honorem
Vix èá dicta, dehinc molli progreſſus in herba,
Sylveſtrem quærens Zephyris motantibùs umbram,
Arbore ſub patula reſidet quà flumina circùm,
Fragora dant rami, varios humus humida flores,
Tum Pater alloquitur Divas , ac talia mandat
Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſq; movete,
Conjunctæ ſtudio, atq; animis concordibùs omnes,
Conſulite in medium, & juſſos urgete labores,
Et decet, & fas eſt virtuti reddere honores
Promeritos, gratoq; novum decorare Parentem
Munere, Poſteritas veniens quòd nulla delebit.
Incipe Muſarum prior, o tu maxima *Clio* (*)
Incipe & à prima dic ſtirpis origine priſcæ,
Quam forti fuerint animò quam pectore grandi,
Quos Patriæ fructus tulerint, ariſq; Thronoq; ;
Sidere quam claró nati nexuq; ligati
Primorum Procerum? magna de ſtirpe *Naruſzli.*
Tu memorare potes, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta Viros antiquæ ab origine gentis,
Nota tibi longìs annis; Tibi maxima rerum
Verborumq; fides , neq; fallax ante reperta es.
Sic ait , & parent dictis Heliconis Alumnæ,
Accingunt ſe omnes operi, incumbuntq; labori,

(*) Una ex novem Muſis, quæ præeſt hiſtoriæ, deducitq; lineam Genealogiæ.

http://rcin.org.pl

Pars calamos inflare leves, pars dicere verſus
Pars nervos pulſare, & jungere Carmina nervis.
Tum ſic pauca refert, tuus eſt, o! Phæbe quid optes,
Explorare labor, me juſſa capeſſere fas eſt,
Quanquam: ſi primà repetens ab origine pergam?
Et vacet Annales priſcæ recludere gentis?
Antè diem clauſò componet veſper Olympô.
Sed tamen experiar, dicam res ordine Curtô,
Antiquæ Sobolis præclaraq; facta Parentum,
Verùm: Summa Seqvar tantùm faſtigia rerum.
Dixit & hiſtoriæ longum ſine fine volumen
Murice veſtitum pretioſò & nobile gemmis,
Explicuit gremio ( Matris ſpectabile donum
Mnemoſynes: ) quò principiis ſignarât ab ævi.
Fortia facta Patrum: ſæclis æterna futuris,
Intulerat clarumq; genus, clarosq; triumphos,
Quæ: ſeros olim deceat meminiſſe Nepotes..
Hoc poſitô, dixit te poſco Præſes Apollo
Me tua non ſtringat tam durô jure poteſtas,
Ut recitem memori, geſtorum voce tabellas;
Sufficit acta Domûs noſtro ingroſſaſſe libellô
Quem pia poſteritas legitans mox cuncta videbit. (*)



(*)Juxta Libros Chronicos Nieſieccii, Bielſki, Okolſki &c: Illuſtriſſimorum *Naruſzewiciorum* Inclyta & vetuſtiſſima Domus, originem trahit à Bellicoſiſſimo Viro *Montegierd* in Magno D. Lit: Petrus Montiegierdowicz primùm Anno 1433. Dux Campeſtris M. D. Lith: dein 1457. Magnus Mareſchalcus M. D. L. aſſenſu Comitiorum Hrodelenſium aſſumpſit, adoptavitq; ſibi Arma *Wadwicz*, quæ Bielſki, Paprocki, Strykowſki dicit eſſe aſportata ex exteris nationibus in Poloniam *Petrus* Montiegerdowicz fuit trium Filiorum Pater 1. *Dowkſza*, cujus Filius Stanislaus Epiſcopus Luceorienſis, 2. *Dawgerd*: Mareſchalci M D L & 3 *Naruſz*. à quo provenit, Illuſtriſſimi Nominis Origo. Hujus *Joannes Naruſzewicz* Filius, Vir arte Bellica Ce-

http://rcin.org.pl

Nam quas quæſo potes pro Majeſtate referre
Laudes, tot Domibus Procerumq; Ducumq; ſuperbis,
Muſa? Sacræ Domui quæ junctæ Præſulis Hujus;
Sangvine purpureo, clavâq; mitrque notatæ,

---

lebris, Qui Nominis & virtutis, reliquit hæredem, Adalbertum Naruſzewicz, Hic Paulum Woyciechowicz Naruſzewicz Capitaneum Zizmorienſem Legatum in Moſchoviam 1531. Notarium M. D. L. Palatinatûs Novogrodenſis togâ á Sigiſmundo I donatum. Hic reliquit *Nicolaum*: Magnum Theſaurarium M. D. L. quinq; Filiorum de Barbara, Kuncewiczowna Patrem: nempe: *Primi Nicolai*: Caſtellani Samogitiæ, *Secundi Joannis*: Venatoris M. D. L. Capitanei Lodzienſis, Mareſchalci Tribunalis M. D. L. 1592. Legati ad Comitia Regni 1601. 1167. 1611. 3*tii Pauli* Capitanei Markovienſis, cui offerebatur munus Cancellarii M. D. L. 4ti Chriſtophori Magni Theſaurarii M. D. L. 5ti. N. qui Sterilis deceſſit è vivis. Chriſtophorus mox dictus de Eliſabetha Szymkiewiczowna Palatini Vitepſcenſis Filia quatuor Filios Aris & Throno reliquit videlicet: Stanislaum Referendarium & Notarium M. D. L. Capitaneum Novodvorſcenſem *Joannem* Theſaurarium M. D. L. Civunem Berzanenſem, cujus unica Filia matrimonio juncta fuit Caſimiro Frąckiewicz Theſaurario M. D. Lithv: *Caſimirum*: Capitaneum Bułakovienſem, *Alexandrrum*, qui primó Notarius dein Vice-Cancellarius M. D. L. Capitaneus Lidenſis Pienſcenſis &c: &c *Legatus* in Sveciam, & binîs vicibûs *Lubecam*, Legatus deniq; ad componenda fædera pacis Moſchos inter & Polonos. Plures alios legere eſt in Libris Chronicis. Bartholomæus, Michaël, Adam, Sacerrimæ Societati Jeſu ſua Nomina dederunt (1) Iſabella Naruſzewiczowna Caſtellani Samogitiæ Filia, deſponſata Stanislao Maſſalſki Succamerario Grodnenſi Legato ad Comitia Regni 1661. Deputato ad Tribunal, fiſcale M. D. L. & Commiſſario ad recognoſcendos Regni limites Colonello cohortis Sæ. R. Mtis.

(2.) Joanna Naruſzewiczowna arrhâ matrimoniali fæderata fuit Joanni Ogińſki Palatino Połocenſi & Magno Duci exercitus M. D. Ł. cujus Filia Marianna Tyſzkiewiczowa Capitannea Starodubovienſis.

3. Catharina Naruſzewiczowna Sacro fædere juncta Joanni Caſimiro Wołłowicz Capitaneo Feydanenſi. Theodoræ de Sapiechis Palatinidis Vilnenſis & Alexandri Naruſzewicz primùm Notarii: dein Vice-Cancellarii M. D. L. Filia, Qui fuit Socius Legationis in

http://rcin.org.pl

Non eſt humanum non eſt mortale quod optas.
Hic memoranda mihi veniunt Sarmatidos Oræ
Nomina prima, quibûs Lechorum terra ſuperbit.
*Maſſalſki* (1) *Ogińſki* (2) *Wołłowicz* (3) atq; *Sapiecha* (4)
*Radziwiłł* (5) *Dolſki* (6) *Pac* (7) *Chodkiewicius* atq; (8)
Princeps *de Zbaraż* (9) Tyſzkiewicz (10) ſangvine juncta;
Nomina clara togâ, meritis, & laude perenni,
Quam dederat cunctis mavors, & Pallas amica,
Illis laudandis de Muſis non ſatis ulla.
Sic *Clio* dicens intentis omnibus: Ecce
Conticuit tandem, factôq; hic fine, quievit
At Phæbus, per quem concordant Carmina nervis,
Jam dudum Cytharæ, percurrens fila ſonoræ,
Urget opus, cantusq; movet, calamoſq; figurans,

---

Sveciam cum SSmo Stanislao Leſzczyńſki, ubi fortiter negotia Regni promovit, teſte *Puffend: de Reb: Caroli Gustavi Lib*: 2. 8. 18.

(4) Stanislaus Naruſzewicz Referendarius & Notarius M. D.L. habuit Annam Alexandri Dadzibog Sapiecha Palatini Mſciſtavienſis vinculo matrimoniali obſtrictam, ſibi Filiam

(5) Naruſzewicz Sacramento Matrimonii fæderavit ſibi Catharinam Nicolai Principis in *Dubinki* & *Birża* Radziwiłł Palatini Novogrodenſis Filiam.

(6) Naruſzewiczowna Duci Dolſki Succamerario Volkovienſi nupta.

(7) Chriſtina Naruſzewiczowna Stanislai Caſtellani Smolenſcenſis Filia, nupſit Joanni Pac Palatino Minſcenſi.

(8) Marianna Naruſzewiczowna, Alexandri Notarii, dein Vice-Cancellarii M. D. L Filia, data eſt in Sociam vitæ Georgio Carolo Chodkiewicz Caſtrorum Metatori M. D. L.

(9) Nicolaus Naruſzewicz Caſtellanus Samogitiæ Filius Theſaurarii M. D.L. aſſumpſit in Sociam vitæ Mariannam Duciſſam de *Zbaraż*. *Starowolſki in monum*: & Epitaph: in Cath: Vilnen: 1606.

(10) Joannes Skumin Tyſzkiewicz Palatinus Volhynienſis aſſociavit ſibi Barbaram Naruſzewiczowna Caſtellani Smolenſcenſis Filiam.

http://rcin.org.pl

Perſonæ laudes etiam celebrabitis, inquit,
Inſignes animi dotes ſeduloſq; labores,
Quos *Naruſzewicz* tulerat pro gente Polona:
Augens illius decus immortale canetis,
Svavi, (ſed non vos pigeat) modulamine, Carmen
    Incipe *Calliope* (*) tibi vox & cura canendi,
Alternis gaudent vicibûs cantare Camænæ.
Sat cecinit *Clio*, Daphneide digna Coronâ (**)
Dixerat. Hæc: celeri percurrens mente labores
Præſulis, & luſtrans, quæ ſit Sapientia cordis?
Qui vigor ingenii? celſi qui pectoris ardor?
Quæ virtus? & quæ magnis mens ardua rebus?
Accepit dotes quas largo munere cæli?
Surgit & hæc, poſitâ tandem, formidine fatur.
    Dicam: Phæbe jubes quoniam, res ordine pandam,
Namq; tuum mandare, meum parere fatebor
Unde ſed incipiam? nequeunt hæc Carmine dici,
Quœ: *Pariô* (*) vel quæ ſunt albo marmore digna.
Huc precor, huc veſtras divæ convertite vires,
Aſpirate meis omnes ex ordine cæptis
Tuq; o! Phæbe, mone ſceptro venerande potenti.
    Sed quid ego dicam? quæ jam ſunt dicta perámplè,
Vel quæ jam ſolus, noſter cantavit Apollo,
Præſule de tanto? cujus ſunt grandia facta,

---

(*) Una ex novem muſis cæteris excellentior, quæ præeſt verſibus heroicis

(*) Daphne Filia Penei Regis Theſſaliæ, in arborem laurum converſa dicitur.

(*) *Paros* inſula (nunc dicta *Paxio*) in mari Ægæo, eſt una ex Cycladibus, ubi candidiſſimum habetur marmor quod Parium dicitur, ſtatuis exculpendis aptiſſimum. Ibi quoq; reperitur *Lapis Lydius*: Inſula hæc Turcarum poteſtati ſubjacet. Videatur Lexicon Hibneri.

http://rcin.org.pl

Quæ: genus, & virtus, ſapientia, monſtrat in illo
Cujus qui meritas tentat percurrere laudes
Littoris *Jcarii* citiùs numerabit arenas,
Aeræas & aves, incluſosq; æquore piſces.
O! decus! o! Lechici ſpes, o! tu gloria Regni:
Et quò non penetrat virtus operoſaque rerum
Gloria, quæ laudum gens eſt ignara tuarum?
Non tua majorum ſe limitè continet amplô
Gloria, ſed priſcos generis contendis honores
Vincere, clarorumq; decus geminare Parentum
Quam Tibi majores, majus decus ipſe futurus,
Quid moror? immensum eſt virtutes dicere Sanctas,
Præſul Adame tuas, aliis: quæ ſingula namq;
Eſſe ſolent bona: Relligio, moderatio morum,
Juſtitia, & legum pietas, fidiſſima Cuſtos,
Inculpata fides, & ſancta modeſtia vitæ,
Magnaq: uis animi fortis, clementia mitis,
Ingenii vigor, & doctæ Sapientia mentis,
Et non ceſſuri, niſi Diis ſine crimine mores,
Omnia ſolus habes, proprió Ceu pectore nata
Omnia conſpirant in te concorditer unum.
Si memorem dotes dederat quas Diva Minerva,
Si memorem calamum, ſcribis quô geſta Lechorum?
Et genium mentis dederat quem *Livius* ipſe?
Ingeniumq; Sagax, noveras quô abſtruſa Sophiæ,
Grandia vel Sanctæ myſteria Thejoſophiæ?
Notitiam Juris quò ſe tibi contulit ipſa
Diva *Themis*? facilemq; dedit ſe ſe, Ipſe *Licurgus*?
Munera vel tandem memorem ſi digna notatu
Quæ Tibi conſilii, *Conſus*, Deus ipſe Supremus
Indidit? o! noſter Judex, o Præſes Apollo
Non opis eſt noſtræ dignas hoc Præſule laudes
Condere, virtutes grandi celebrare Camænâ;

Fundacji im. J. I. Michalskich
Ze zbiorów

http://rcin.org.pl

Sit nobis voluiſſe ſatis, ſit honeſta voluntas
Grata Tibi. Parvo ſuperi quoq; munere gaudent.
Talia *Calliope* liquidas dum cantat ad auras.
Muſarum applaudit chorus, & bona verba precatur,
Ingeminant plauſum nubes, valleſque recurvæ
Reſponſant lætis diſſultat vocibus æther.
Invitat Muſas Socias, ad vota dicanda,
Aurea Calliope, Paſtori debita tanto;
Dicens: nunc, o! nunc plenis fundatur habenis
Nunc Helicon totus nunc magnus ſurgat Apollo,
Præſulis in Laudes, reſonent nunc divite plectro
Mecum, Sarmatiæ quot quot celebrantur in Orbe
Lauricomi Vates Cæleſtis quos furor urit.
Campanæ ſonitu liquidas fundatur in auras
*M*etrica vox major, quam naſcens audiat ætas,
Audiat auroræ populus qui ſolus in Arva
Primus quadrupedes gaudet ſpectare vehentes,
Purpuerea cum luce diem. Simul audiant ille;
Qui Hæſperium, ſpectat Phæbi ora, cadentis in æquor,
Quemve dies medius flagranti lampade torret:
Qnemve rigens Boreas glaciali frigore ſtringit,
Præſulis *Adami* vivat per ſæcula, Nomen,
Grande, ſoloq; ſalòq; poloq; choroq; foroq;
Machina dum bipolo mundi volvetur in axe.
Te Deus in columem ſervet, te proſperet, opto,
Ipſe diu, vitæq; tuæ det mollia fata.
Aſpiretq; tuis cæptis, ſanctoq; laborî.
Dii faciant ſit fauſta Tibi viridiſq; Senectus,
Qui tot in exhauſtô producis commoda fonte.
Finierqnt muſæ, ſtrepit omnis plauſibûs aula,
Applaudunt Auræ tenues, monteſq; lacuſq;,

Reſponſant

http://rcin.org.pl

Reſponſant, circa læto clamore propinqui.
Tum Pater Omnipotens: voces, & vota ſecundans,
Auguriumque ſuum; Cæli de parte Serena
Annuit, & dixit, votis ſint omnia veſtris.
Hæc ait, & læto ſtrepuerunt claſſica cantu
Famaque longinquos mundi volitavit ad axes.

# GENIUS
## CATHEDRAE LUCEORIENSIS
### LUGUBRO - HILARI AMICTU AD LITTORA *STYRI* SPATIANS.

Luctus, quem ſenſi, gaudia mille dabit.
*Ovid:*

ESſe quidem fateor triſtiſſima tempora belli,
Cum dîtes, populat miles, & urit agros.
Et triſtis multùm rapidæ vis ultima *Parcæ*
Funereô, abſumit Corpora quandò, torô.
Sed mea ſunt iſtis magè nubila tempora rebûs,
Dum tacitâ, clades, mente voluto, meas.
Tot Curîs uror, maceror tot denique votis:
Ut mihi ſit, vitam vivere, pænè mori.
*Naſo* Tomitanas (*) non ſic ejectus ad oras
Exilii luxit tempora dura ſui.
Non ſic *Heliades* (**) percuſſum fulmine Fratrem,
Nec *Climene* (***) natum flevit ad ima Sali.

(*) *Tomos Urbs in Ponto, ibi exulavit* Ovidius *Poeta, dictus:* Naſo.
(**) Heliades: *dicùntur Filiæ ſolis ex Neæra: Scilicet: Phætuſa. Lampetia. & Lampetuſa, quæ caſum Fratris ſui Phaetonis adeo fleverunt, ut in arbores mutatæ ſint,*
(***) Clymene: *nimpha Oceani, Mater Phaetontis.*

http://rcin.org.pl

Non ſic: Corporibus *Niobe* (*) frigentibus hæſit,
Cum fuit in triſtem verſa dolore petram.
Quam queror, & lacrymîs udis, mea defleo damna;
Nec lux grata meis luctibus ulla venit.
Sive petam undantes Zephiri Spiramine Sylvas,
Sive petam pictis plena vireta roſis?
Dulcia nulla mihi, nec ſylvis recreor ullis,
Nec capiunt animum picta roſeta meum.
Scitiſne; o! Cæli, Deûm magnique Penates?
Heu! quantîs rapior ſponſa Cathedra malis?
Ecce mihi Sponſum rapuerunt mœnia *Craci* (**)
Quô, num ſit melior? neſcio Sponſa, mihi.
*TURSCIUS* Jlle fuit, *Felix* & nomine *Paulus*
Tot præſtans animi, dotibûs, atque fide!
Conſiliô prudens, & ad alta negotia natus,
Fervet in augenda Relligione Pius.
Fecit Ei Nomen Iuriſprudentia magnum,
Abſtinuit tamen Hic lite, quietis Amans.
Hic probitate *Numam* (***) ſuperat, virtute *Catonem*,
Conduplicans, Studii nobitate, Genus.
Audiit Hunc *Paulum* cætus, divina tonantem
Dogmata, ritè Choro præfuit, atque foro.

C ij

---

(*) Niobe: *Uxor Amphionis Regis Thebarum, cuius ſeptem Filios & totidem Filias Apollo Sagittis occidit Et Niobe præ nimio dolore facta immobilis: mutata dicitur in Lapidem.*

(**) Jlluſtriſſimus Reverend: Dominus Felix, Paulus Turſki Epiſcopus Luceorienſis evectus ad Cathedram Cracovienſem.

(***) *Numa* Pompilius Secundus Rex Romanorum ex Curibus Oppido Sabinorum, electus in Regem, populum Romanum à ferocia bellorum convertit ad Cultum Deorum,

http://rcin.org.pl

In ſuperos, Pietas memoranda Scientia, zelus,
Fecit Paſtoris nomen habere Boni.
Paſtor amans fuerat Sponſæ, Clerique, Gregiſque,
Quêisque fuit Veſtis Relligioſa Sacer.
Pauperies plorato Patrem, plorate pupilli, (**)
Ut vireant lacrymîs, arida buſta, piis.
Hunc plebs, Templa, Scholæ, Clerus, Pia Clauſtra loquentur,
Et quas, pro Templis: Jlle reliquit opes.
Totum ſe dederat, pia Sponſæ in Commoda, ſponſus,
Debeat ut meritò gutta Cavare genas.
Sponſe redi, Quæ Te remorantur Climata Regni?
Aut: quæ fata tenent? mi bone Sponſe, redi.
Sponſe redi - - per *Luceoris Breſtæque* Penates,
Oro, Sponſe redi - cur viduata gemo?
Noſtris, ſi quis ineſt precibus locus, exue mentem,
Uſque adeo Sponſæ ferreus eſſe potes?
Si vitio vertis, quod amem; quòd ſim Tibi grata?
Naturam, & ſuperos argue, Crimen erit.
- - - - O! miſeram me!
Non video qui me tam multo fænore Solvat,
Vel fomenta meis præbeat ulla malis.
Jte oculi - - vitreîs fontes effundite Clauſtrîs,
Jte mei fontes - - ſigna doloris erunt.
Heu! - - - quæ, torſiſtis mihi Sponſæ ſtamina, Parcæ?
Omina, non albæ, quæ, Ceciniſtis aves?
Ut mihi ſic miſeræ fortuna tenaciter inſtet!
Et premat hoc noſtrum, dira procella Caput.
Quam vellem Tecum - reliquum conſumere tempus,
Tecum dulce mori. vivere, dulce fuit.

(**) Erga Ordinem Seraphicum Beneficus, & Jllius Protector,

http://rcin.org.pl

Sed quid ego facio! - - - mea, me quò vota vocatis?
Luctus: quem ſenſi, gaudia mille dabit.
Nulla dies, adeo eſt auſtralibûs humida nimbîs,
Non intermsſis ut pluat imber aquis
Nec ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo,
Miſta ferè duris utilis herba rubis.
Nil adeo fortuna gravis miſerabile fecit,
Ut minuant nullâ, gaudia, parte malum
Fertur ab immenſo tempeſtas horrida Cælo?
Denſa tamen poſt hæc nubila Phæbus adeſt.
Sors hominem tollit ſurſum, mox mittit ad ima
Sic ſimiles, nobis fata dedêre, vices.
Nam mihi, cum fulvà *Styry* ſpatiarer Arenâ,
Viſa eſt á tergo; penna dediſſe ſonum.
Quid ſibi vult? - - toto ſubſultant Corpore vires,
Candidaque argutum cecinit omen Avis,
Reſpicio! nec Corpus erat, quod cernere poſſem,
Verba tamen ſunt hæc aure, recepta, meâ.
En ego lætarum venio Tibi Nuntia rerum,
Fama per immenſas aere lapſa vias.
Præſule dum TURSKI Paulo, Felice, Cathedra
Nunc ſuperum votîs, eſt viduata ſuô.
NARUSZEWICZ: placitô Romæ, Statuumque Duciſque
Et pius, & Sapiens, hic Tibi Sponſus erit.
Dixit, - & ut lætô Campum rumore replevit,
Ad gentes alias, hinc: Dea vertit iter.
Et mihi dilapſis inter nova gaudia curîs,
Aufert triſtitiam gaudia mille dedit.
O! quanta eſt Superum Clementia! gratia quanta!
Gratia, nonne Tua eſt Sancta Patrona Trias (*)

---

*) Eccleſia Cathedræ Luceorienſis eſt ſub TituloSanctiſſimæ Trinit:

http://rcin.org.pl

Talem quod dederis, quò, non optatior alter,
*Volhyniis, Litavis, Podlahiiſque* fuit,
Altaris Cathedræ, magni Sacrique Miniſtri,
Hæc ubi jam vobis Nuntia fama tulit,
Munere pro tanto ſuperis pia reddite vota,
Noſint, me ſponſam, quod viduare Sacram.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Et quos à terra divite, mittit Arabs.
Hæc: & Erythræô, lux eſt Signanda, lapillô
Hæc: Cilicum, hæc Arabum munere digna dies.
Non ita: Trojano gaviſus *Atrida* triumphô
Cum *Priami* ceſſas verteret ignis opes.
Non ita: poſt longos terrâque, marique labores,
Intraſti Patriam lætus *Uliſſe* Domum.
Quam feror, & tantâ rapior dulcedine, quòd: nec
Pingere penna queat, lingua nec ipſa loqui
Dum Pater Omnipotens hac Tu me forte beaſti,
